

Jacob Fabricius Henricus Starcke


Disputatio Inauguralis, De Scorbuti Diagnosi kai Therapiea

Rostochii: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742564614>

Druck Freier  Zugang






F. J. 105
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶





Disputatio Inauguralis,

De

SCORBUTI

Διγνώσις καὶ Θεραπεία.

Diagnosiseos Therapia

Quam

Auspice Archiatro coëlesti, humanæ
salutis auctore & vindice,

DECRETO ET AUTORITATE

*Amplissimorum inelytæ Facultatis Medica in
laudatissima & antiqua Rosarum Academia
Procerum,*

SUB PRAESIDIO

Excellentissimi, & Experientissimi VIRI,

DN. JACOBI FABRICII,
Artis Medicæ Doctoris celeberrimi, Ar-
chiatri Megapolitani, superiorum Mathematicum, & Me-
dicinæ Professoris publici, p. t. Decani, Dn. Praeceptoris,
Evergetæ & Promotoris sui multis no-
minibus colendi,

*Pro LICENTIA sumendi Doctoris Medici insignia,
fruendiq. privilegiis,*

Publicitus examinandam proponit

M. HENRICUS STARCKE,
Herv. Westph. Poët. C. C.

In Auditorio majori, a. d. 4. Maji horis ante & pomeridianis.

ROSTOCHII

Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog. Anno 1627,

Ex
bibliotheca
Academicae
Rostochensis



DE SCORBUTO THEMA.

I.



CORBUTUS, ilias illa malorum, & lerna morborum, quam depravatæ sit indolis, & perniciosæ famæ, quantisq; ad-
versitatibus, quantis doloribus & mole-
stis dædalæam humani corporis compa-
gem, tam affabrè fabrefactam, tot doribus à divinâ pro-
videntiâ nobilitatam, premat & afficiat, quamq; ægré
hydra hæc Lernæa ab Herculeâ providi Medici manu
edomari queat, nemini, nisi qui planè sit hospes in Bal-
thicis hisce littoribus, ignotum esse autumamus. Nos
itaque, quibus disputatoriæ palæstræ alea subeunda, ma-
li hujus theoriam, & therapiam contemplabimur, sum-
mum Archiatrum calidis sollicitantes votis, ut animum
nostrum in conceptione *veri*, & calamum in delineatio-
ne *boni* clementer & paternè dirigat.

2. Prætermisâ verò generali differentiarum mor-
borum recensione, & explicatione, *Scorbutum* ad Ende-
miorum classem referimus, utpote, qui Maris Balthici,
Finnici & Bothnici accolis, peculiari horum locorum,
vel & victus communis, omnibusq; usitati vicio admo-
dum familiaris; cujus seminaria citiam in Westphalam,
Misniam, Borussiam, Silesiam &c. sparsa esse novimus, &
haud inviti confitemur.

3. Neq; tamen novus, heri aut nudiustertius na-
tus est, uti nonnulli affirmare non verentur, sed & anti-

quis delubri Asclepiadei Hierophantis, licet non nomine nobis usitato, re tamen ipsâ, cognitus, utpote; cùm hodiè nulli morbi (semel enim ex Pandora pyxide evolvendo, uti loquitur Petrus, profapiam suam compleverunt) generentur, qui non actu antea extiterint, vel saltem in caussarum potestate latuerint, ad occasionem, quâ prorumperent, reservati; cui astipulatur & illud Ecclesiast: *Nibil sub sole novum*; & illud Sophoclis, *non beri sunt ista, vel hodiè edita, semper fuere; quando extiterint, nemo scit.*

4. Neq; Hippocrat. & Galenum, quî nobis sunt instar mille auctorum historica *Scorbuti* cognitio latuit; ille enim lib. de affectib. intern. text. 137. dùm εἰλεὸν αἱματίου describit ipsùm *Scorbutum* exactè explanare videtur, hisce verbis: Morbus per Autumnum incipit, in eoq; hæc accidunt: ex ore malè olet à dentibus, & ab iis gingivæ abscedunt, & ex naribus sanguis fluit; interdum vero in cruribus ulcera erumpunt, & alia sanescunt, alia emergunt, & color niger fit, & cutis tenuis.

5. Attamen cùm addatur t. 138. περιφοιτῶ καὶ πάλαι πάρεσιν περιθύμως, eaq; verba *Scorbuticis* non convenient, non malè videntur illi auctores sentire, particulam *ὄδι*, incuria typographorum, ex Græco textu expunctam esse, adeoq; restituendam; præsertim cum nomen *ilei* huic affectui tam appositè conveniat, atq; *Schorbuick* / quod tormina alvi significat: licet enim nomen *ilei* potissimum affectum intestinorum tenuium designet; attamen haud rarò apud Hipp. & Gal. de ventris & hypochondriorum torminibus accipitur, ut 3. Epid. comm. 2. t. 6. & 3. aph. 22. αἱματίτης, vero ab αἱματία dicitur, quod gingivæ sint cruentæ, & ulcera abundantè sanguine madentia interdum in cruribus excitentur.

6. Ga.

6. Galenus verò 2. de natura hum. comm. in aph 9. optimè *Scorbutum* describit, & Paul. Ægineta lib. 3. c. 49. ait; his quibus lien induruit, os gravcolens fieri, gingivas corrodi, ulcera in cruribus cicatricem non admittentia excitari scribit.

7. Ordine ergò, ceu filo Ariadnæo ducti, ad ἰνομα-
τολογίαν pergimus, ac cum *πλύμορφον* habeat faciem, & ex pluribus, iisq; diverſi generis, morbis partes diverſas occupantibus conſtet, *πλύσημον* quoque, & *πλύμορφον* nomen adeptus eſt *Scorbutus* vel *Schorbutus*, mutuato nomine ab inferioris Saxonix incolis, qui nominant eum *Schörbock* / vel *Schorbock*: Belgis *Schurbiick* / à cruciatibus ventrem dilancinantibus, item *Schurmunde* / Danis *Schörbeck* inſignitur, ab oris eroſione, à puniceis maculis *blawſchuvit* / *Schurbein* à languidis cruribus, nonnullis *gingipedium*, à læſis gingivis & pedibus, vel *gingibrachium* ſeu *πικυτόρεση*, Forſto, Barbar. *Stomacaxia*, q. *σωματικὴ κακία*, vel *καχεξία* die *Mundifeule*.

8. In ſubjecto *Scorbuti* determinando nimis curioſi ſunt nonnulli Medici, dumq; de ſubjecto mali hujus agunt, certas partes corporis humani, quæ *Scorbuticis* ſymptomatibus ſunt obnoxia, intelligunt; cùm tamen nulla totius humanæ naturæ, vel mortalis oëconomix pars ſit, quæ *Scorbuti* mineram in ſe continere, ejusque ſubjectum eſſe non poſſit, licet modò plures, modò pauciores, pro mali ratione, afficiantur.

9. Nos tamen, uberioris dilucidationis ergò, cunas *Scorbuti* ſtatuiſſe duplices, *Nascentis* & *nati*. *Nascentis ſubjectum* eſt ut plurimum lien, interdum epar, meſenterium & contiguae partes, quibus colluvies, & fomes corruptorum humorum vel contactu, vel quantitate

(motum ejus seroso humore, quo diluitur, promovente) vel inimicâ qualitate, vel fumis ascendentibus depravatis corruptionem aliquam subinde afflare, eorumque consuetam operationem depravare potest.

X 10. Licet enim rarò sine lienis vitio *Scorbutum* generari compertum sit, ἀδυναμίαν tamen illud in epate aut aliis partibus non arguit, præsertim ubi quis legendo percurrerit observ. II. lib. 20. Forest. quâ annotavit in Hollandiæ præside magis hepar, quam lienem fuisse affectum; quiq; noverit in Academia Witebergenfi in cadavere quodam Scorbuto extincto omentum totum putridum, lienem verò incolumem ab anatomix administratoribus inventum fuisse.

II. *Nati subjectum* adæquatam est corpus humanum, totumq; venosum genus, tam portæ, quam cavæ, unde vel ad inferiora, per crurales venæ cavæ ramos, vel ad ambitum corporis, per venas capillares, mediante fero, vel ad tendines & ligamenta musculorum, vel ad gingivas à natura ablegatur, ac pro diversitate humoris, ipsiusq; partis diversa excitat symptomata.

12. *Causæ hujus Scorbuticæ luis* ex triplici fonte petuntur, aliæ enim διὰ τῶν ἔξωθεν, quæ περικαταρκτικῆς, aliæ διὰ τῶν ἐσωθίων, quæ περιηγεμίδιαι, aliæ διὰ τῆς συνεκείας, quæ συνέκλιση ἀ Medicis insigniuntur, suppullulant.

13. *Externas Scorbuti causas* ad res non naturales, sine quibus nemini bene vivere conceditur, τὸ πικίλον ἢ δισαίτης πικίλα νοσήματα πικτῆ, ut ait Basil. referimus.

14. *Magnarum itaq; virium* ad hoc malum procreandum est ær ambiens uliginosus, austrinus & udus, qui corpora humectat, affertq; difficilem motum juxta Hipp. aph. 17. sect 3, ex mari aut salis paludibus exhalans;

3

Ians; unde non immeritò Dictator noster summus, in lib. de aër. loc. & aq. & c. in uliginosis locis excrefcere lienis afferuit: cujus rei veritatem afferuit etiam Olaus M. in Septentrion. hist. lib. 15. c. 51. dum *Scorbutum* frigida murorum exhalatione foveri, inter tabulata vero mitescere ait; & Ronfseus, qui in Hollandia multò frequentius & periculosius Alcmariæ, & Amstelrodami incolas affici, atq; qui Goudæ aut Roterodami habitant, observavit: ob humidum etiam aërem complures, qui in udos carceres compacti fuerunt, accedente prava victus methodo, *Scorbutici* evasere: ita nimir. crassus & squalidus aër corpus defes & elumbe reddit, & calorem nativum, concoctionis & superfluorum secretionis *δημιερζόν*, debilitat, ut *πέψεις* *ρεέψεις* *και* *αποχωρήσεις* omnes fiant deteriores; & hâc ratione mulieres huic malo magis sunt obnoxia, atq; viri.

15. Idem præstant *cibi exsuccii*, melancholici, frigidi, sale macerati, & fumo indurati, lardum rancidum crudumq; comestum, panis furfuraceus, nauticus, pisces item fumo ac muriâ stillantes, uti & *dadaleæ* farciminum varietates plus justò, aut quotidie assumptæ, quæ præcedentibus variis alterationum vicissitudinibus corpori nostro assimilari, & virale naturæ nostræ balsamum refocillare nequeunt, ac sæpè loco *έψήσεως μόλυνσιν* relinquunt: Sale quoq; & aceto nimium condita edulia hîc plurimum nocent, sal enim ob fixam, quâ præditus est, naturam, si immoderatus paulo ingeratur, volatilis reddi nequit, nec in primis viis consistens concoctione spiritua scere (cum omnis concoctio fiat *πνδμαλώσθ τινη*) potest: acetum vero uti cholerae mors est, ita melancholiae vita: *ὄξθ γδ τὰ μέλανα ζυμάτια, και μετεωρίζεται, και πολ-*

πικρα πλάσσειν; ἀναγωγὸν μελάνων ὄζω, attestante Hipp. I.
de vict. rat. in Morb. acut. t. 38.

16. Quin etiam emulcralia & lacticinia (nisi emaciatis ratione atrophix concedantur) nocent Scorbuticis, Galen. 3, de alim. fac. c. 14. illa enim non solum in ventriculo acescunt, & coaguli instar coeunt, sed & ob crassiores partes, ob lentitudinem facile obstructiones procreare, flatus hypochondriacos augere, gingivisq; adversari queunt: quò & pertinet frumentum corruptum, pluviali tempore collectum, locisq; humidis aservatum Gal. lib. de cib. bon. vel mal. succ. c. I. quod ipsum & Hipp. accurate observavit, dum Æni incolas assiduo ordine leguminibus utentes crurum impotentiam affectos fuisse testatur 6. Epid. sect. 4. aph. 13.

17. Inter potulenta sese primò offert *aqua verminosa*, quâ nautæ sæpiculè in defectu dulcium uti coguntur, præsertim in aère calido, prout refert Rodericus à Fonseca Hispanis, qui primi Indiam orientalem navigiis salutârunt, potu aquæ alicujus promontorij ita gingivas intumuisse, ut oris loquear vix eas contineret, ut & cerevisia fæculenta, ex aquis turbidis cocta, nec defæcata, aut quæ lupulo salictario, qui alias aperiendi, abstergendi, pituitam educendi facultatem obtinet, non sufficienter conditur, vel non satis coquitur, ut Reusner. exerc. 4. de plebeis Hollandiæ & Flandriæ, & Horst. de Scorb. de Soltmanno, Soltquellensium cerevisia testantur.

18. His jure meritissimo associantur τὰ ὄνειδος ματα, quæ in similis effectus societatem amicè conspirant, uti sunt somnus immoderatus, vigiliarum excessus, otium, vel exercitium, utrunq; nimium, vel intempestivum, solitarum evacuationum suppressiones, tristesque curæ,
ani-

4
animiq; morsus, febres diurnæ, utpote, quæ facillè melancholicum humorem cumulent. Gal. 3. de loc. aff. c. 7. præsertim quartana, opprobrium illud Medicorum, contagium, vel immediatum, mutui nim. contactus, vel mediatum v. g. in poculis, in columbinis osculis Belgis usitatissimis, in nutritu lactenti subrumo communicatum, & hujusmodi generis alia.

19. Antecedens causa est *crudus & ichorosus humor*, imprimis in hypochondriis, & vicinis locis, vicio hepatis, lienis, eoq; nativo, vel adscititio, *congestione vel fluxione* coâcervatus.

20. *Causa continens Scorbuti* est idem ipse humor, non aqueus, non glutinosus, licet crassus, sed multo ichore dilutus, instar lixivij, non simplex, ut in quartanis, & hypochondriacis affectibus, jam peculiari & specifico modo corruptus, τὸ θεῖον Hippocraticum obtinens, actu vitali facultati cordis, nervosq; generi adversâ qualitate pollens; unde stupendorum & admirandorum Symptomatum rivuli, ceu è fonte, demanant.

21. Syrtibus causarum superatis *ad differentias* accedimus, quæ desumuntur (1) *vel à subjectis*, ita ut alius *Scorbutus* sit universalis alius particularis (2) *vel à causis*, ut alius acquisititius; alius ab interna causa, alius à contagio inductus, alius Endemicus, alius sporadicus, alius Epidemicus, uti exitus annorum 1556. & 1562. satis abunde declaravit, in quibus ob frequentes flatus Austri & Favonij, continuosq; imbres *Scorbutus* apud Brabantos & Boruffos Epidemicâ sevitie grassatus fuit, teste Dodonæo obs. Med. c. 33. & Forest. lib. 20. obs. 12. p. m. 404. vel (3) *à modo invasionis*, ita ut alius sit incipiens, alius augmentum sumens, vel ingravescens vel (4) *à concomitantibus*, ut alius sit solus, alius pluribus morbis copulatus.

B

22. De-

22. Definiri poterit *Scorbutus*, quod sit cachexia accolis maris Balthici præcipuè Endemia, toti corpori, maximè visceribus nutritioni dedicatis, impressa, ab humore ichoroso, crudo & maligno ortum trahens, cum pruriginoso gingivarum rubore, spontaneæ lassitudinis & gravitatis in cruribus sensu, surarum tensione, pectoris angustia, oris graveolentia, ac maculis variegatis passim in corpore erumpentibus, interdum sola, interdum aliis morbis, & compluribus symptomatibus associata.

23. Signa *Scorbuti* sunt vel *Diagnostica*, quæ præsentem statum demonstrant; vel *Prognostica*, quæ futurum declarant; illa vel sunt *Scorbuti* incipientis, vel augmentum sumentis seu ingravescentis.

24. Incipientis sunt, *lassitudo spontanea* (morborum prænutia, 5. aphor. 2.) tensiva & ulcerosa, *totiusq; corporis gravitas*, ob vitiositatem humorum ex internis scaturiginibus ad venarum tubulos & musculos restagnantem, maximè in femoribus & tibiis, ob serosi humoris κατάρροπιαν, ἀνορεξία, nisi ob acidosis spiritus ventriculus plus appetat, *pectoris angustia*, ob humorum copiam hypochondria & diaphragma, primarium respirationis organum comprimentem, *difficilis respiratio*, vaga non stata, absq; tussi & stertore, & similibus, qualia thoracis morbos consequuntur, potissimum inter labores admodum molesta, *color faciei ex pallore nigricans*, ob efflorescentiam humoris melancholici, vel nutritionis depravationem, *interdum rubens*, ob φλέγων vaporum ex humoribus in hypochondriis circa hepar contentis elevatorum, *corpus deflorescit*, ob florescentem lienem; *verissimè enim Hipp.* ὡτι ὁ σπλῆν ἰαλλῆ, τὸ σῶμα φθινῆ, juxta

5
juxta vetus veriverbium, quibus lien tumescit, corpus tabescit; *somnus est interruptus*, ob nigrorum vaporum ad regiam Palladis arcem evaporationem: *urina ut plurimum crassa & albescens*, qualis cruditatis comes frequenter esse solet. Quæ omnia cum aliis quoq; morbis sæpenumerò *συμπεμαλκῶς* convenient, artificiosa conjectura dignosci volunt, ne ab hoc versuto Protheo Medicus decipiatur.

24. *Augmentum sumentis vel ingravescentis* omnia symptomata sunt graviora, nec tunc latere potest amplius *Scorbutus*; adest sæpè tanta anhelitus difficultas, ut erecti sedere cogantur, sæpius lipothymia corripiantur, adest pruriginosa gingivarum rubedo, quæ deinceps ita flaccidæ redduntur, ut vel sponte, vel ad levem attactum sanguinem serosum per nonnullos venæ jugularis exterioris ramulos eò delatum, & acrimoniâ ostiola venularum referantem, effundant, vel & velut in fungum luxuriantem carnem producant: quam non potest non consequi dentium vacillatio, & sordes putrilaginosæ eis adhærentes, quibus non tantum finitimæ partes inficiuntur, & ad ossa usq; consumuntur, sed & sæpius per pocula & oscula hoc malum in amicos & cognatos propagatur: lividæ, fuscæ, & flavæ non solum in cruribus aut brachiis, sed & lumbis, aliisq; partibus efflorescunt maculæ: quin & non rarò nervi in poplite gravantur, resolvuntur, & progrediendi subsequitur imbecillitas.

25. Neque vero omnia signa hîc conjunctim sese in sensus nostros insinuant, sed pro ratione regionis, indole temperamenti, ægri ætate, & materiæ mutatione jam pauciora occurrunt: *ubi crassior est materia*, cruribus (unde *ὀσφραλγῆς Scorbutici*): *ubi serosior*, gingivis

bellum indicit: *ubi humori melancholicobilis est admixta*,
cutis efflorescentia aut flava, aut viridis exoritur; *ubi
melancholia sola*, atro colore livet, & cancris sæpius ul-
ceribus ad consolidationem non facile deducendis,
infestatur.

26. *Cæterum quibus veluti propriis & præcipuis
Scorbutus à reliquis παθήμασι distinguatur, signa sunt, oris
foëtor, σμακάνη, quasi σμακάνη κακία, vel σμακάνη, quod
os κάκλω oleat, & crurum cum dolore, & macularum
pruritione, enervatio, σκελοτύρη dicta; hæc autem licet
indubia sint hujus morbi χαράγματα, non tamen huic
malo sunt coæva, & ἀναχωρίτως præsentia: σκελοτύρη
enim abesse potest, ubi ἰχωροειδέσθησθαι humor ad laxam
gingivarum se confert consistentiam: σμακάνη vero
exulat, ob crassiorum humorum ad crura subsidentiam,
& ad ambulandum pravam indispositionem femoribus
& cruribus inductam.*

27. *Quibus nonnunquam adjunguntur & alia plu-
rima, vix enarrabilia, præsertim frequens narium hæ-
morrhagia, ob debilitatem viscerum in sequestratione
excrementorum à massâ sanguinea, genarum contra-
ctio & tanq. rigor, ob humorem in oris cardinem, in quo
sub auditus organo inferior gena movetur, illapsum,
copiosa salivatio, nausea, & inanis sæpè vomendi cona-
tus, dolores capitis, ventriculi, lumborum, & hypo-
chondriorum, qui navicularibus exasperantur, secun-
dū Forest. obs. II. l. 20. Urina fit crassior, turbida, rubicun-
da interdum, vini rubelli instar, pro ægrotantium tem-
peramentorum diversitate: pulsus est ἀπικίσθαι, alvus vel
nimis est astricta, vel nimis laxa: Quæ tamen licet in uno
hoc vel illo modo, conspexeris, in altero te quoq; obser-
vaturum, minime tibi pollicearis.*

28. Sed

28. Sed ad prognostica properemus. Et itaq; *Scorbutus* ratione sui ipsius morbus chronicus, celeri motu, more, & periculo hominem è medio statim non tollens, aut in vitæ periculum inopinatò conjiciens, partim ob pravam viscerum laborantium intemperiem sensim introductâ, partim ob melancholici humoris immobilitatem & contumaciam, nisi camarina *Scorbutica* multis ab annis retrò collecta, summæq; malignitatis virulentia prædita vitale & animale genus ex improvîso adoriatur, & lipothymijs, gravissimisq; paralyticis & convulsivis motibus hominem ita dilancinet, ut è vitæ statione subito secedere cogatur.

29. Ubi verò altiorem egit radices, interdum in tabem, aut atrophiam, nonnunquam alvi cruentum fluxum, plerunq; hydropem, aut cachexiam degenerat, ob pravam dispositionem à *Scorbutica* illa minera visceribus nutritivis impressam, à quâ læsa sanguificatio, & plurimum serosorum humorum collectio non potest non produci.

30. Septentrionalibus agris, & Balthicis hisce littoribus oberrans *Scorbutus* longè diutius semel infecta corpora occupat, & ita per familias serpit, ut sæpius nemo ex sanguinis communione sibi junctorum inveniri possit, qui semina mali hujus non foveat; prout etiam hæreditarius curatu est difficilior, atq; adventitius; semper enim restibili malignitate repullulat, & nisi accuratissimæ diætæ, & pharmacie beneficio, stirpitus eradicari nequit.

31. Sævitiæ fœminæ *Scorbutica* (ob ignaviorem calorem nativum, vitamq; otiosam humoris hujus copiam coacervantem) magis obnoxia sunt, atq; viri: Sed

illæ ob evacuationes per uterinos meatus, hujus ἐφόδου & insultus facilius & longius, usq; ad annum decimum sextum, sæpè vigesimum perferunt: hi vero correpti ultra septennium truculentiam Scorbuti sustinere nequeunt: sic & senes, ob caloris ἐκλειψιν & debilitatem, cruditatumque proventum, periculosius juvenibus, ob nativi caloris ἐκλειψιν, ægrotant.

32. Auctumno, ob inæqualitatem & immutationem aëris, quæ humani corporis succos turbando, plurimarum ægritudinum audit origo, nec non ob mortaliū depravatam in victu consuetudinem, dum promiscuè, quicquid obvenit, in ventrem ingerunt, sæpius apparet, quamvis aliis anni temporibus non omninò quiescat.

33. Maculæ crurum quò magis lividæ, eò pejores, quia sunt præsigna atrii maligni humoris: has si ulcera consequuntur, Telèphia & Chironia, nisi tempestivè curentur, evadunt: *Si vero macule in vivis subito efflorescunt, & deinde disparent, mortis præsentiam prætendunt; Si in mortuis, humoris pestilitatem arguunt.*

34. Periculum quoq; minatur gangranosa gingivæ corruptio, test. Salom. Alb. præsertim si paulatim lividis maculis conspersa & tincta conspiciatur; quod signum inter maximè lethalia, ob caloris innati extinctionem, referunt non infimi subsellij auctores.

35. Pueris rarius σπελοτύβη, frequentius σωμακάκη accidit.

36. Tumores in compluribus corporis partibus subito erumpentes, & deinde evanescentes, crurum enervationem arguunt: quin & oedematofus istic natus tumor difficulter discuti potest.

37. In

37. In magno liene sanguis ex dextra nare fluens, malum.

38. Quibus tormina ventris, & circa umbilicam continuæ & pertinaces adsunt torsiones, raro evadunt.

39. Lienosis dysenteria superveniens, bonum. aph. 48. sect. 6. nisi sit diuturna; tùm enim valet aphor. 43. divini nostri senis ejusd. sectionis; *ὁκόσι σπληνώδεις ὑπὸ δύσεντερίης ἀλίσκονται, τρεῖσι δὲ σπληνορρόφης μακρῆς τῆς δύσεντερίης ὑδρωψὶ σπληνίεται, ἢ λειοντερίῃ, καὶ ἀπόλλυνται.*

40. Ita divina fortunante gratia ex fluctibus pathologicis, & alveis simcioticis feliciter emerimus; superest, ut breviter dispiciamus, quibus subsidiis, medijs, & auxilijs lerna hæc morbosa edomari, quibus remedijs. si introducta est, extirpari possit; quod ipsum per indicationes obtinebimus.

41. Sunt autem *indicationes tres, vitalis*, quæ robori facultatis studet, bonus enim Medicus uno oculo in morbum, altero in facultatem debet esse intentus, *plus siquidem valet*, uti eleganter ait Heurnius, *ad mortem unum signum proprium malum, quam ad salutem decem communia bona; preservatoria*, quæ causas antecedentes præcidit, easq; è corpore eliminat, ut imminens humorum corruptio præcaveatur, & *curatoria*, ut morbus legitimis præfidijs ex humani corporis oëconomia eradicetur.

42. Tria verò sunt instrumenta, quibus Medicatio absolvitur, *Dieta, Chirurgia, Pharmacia*: statim itaq; ut tam inauspicatum hospitem semel intromissum rursus ex corpore nostro exturbemus, principio exquisita diætâ venit oppugnandus, quæ in rectâ alimentorum ratione, quam *ἀπασαν τῆς νόσος τὴν ἰατρικὴν ἐπιμέλειαν* lib. I.

de

de dieb. decretor. summus *ἰατρικῆ συνέδρις* Dictator nominat, & legitimâ reliquarum rerum non naturalium administratione consistit.

43. Aër ab excessivis qualitatibus prorsus liberetur, non sit squalidus, sed purus, lucidus, moderatè calidus & siccus, siq; talis natura non detur, arte & suffumigiis ex accensis lignis, radicibus, stirpium odoratarum lacrymis, corticibus, seminibus, & aliis utilis concilietur.

44. Langius lib. 2. epist. 14. dicit, aërem debere redolere columbarium, quia ex columbarum fimo multæ sulphureæ & nitrosæ proveniunt exhalationes, quibus intrò attractis mechanici nostri spiritus ad expulsionem mali hujus animosiores redduntur.

45. Cibis sit *ἑυπερισσῶς, καὶ εὐανάρκῶς*, deobstruens, detergens, leviter astringens, optimam *πνευματώσων* efficiens: eligatur præ reliquis carnibus columbina, utpote quam præsentancam antidotum esse relaxationi omnium membrorum Zoâr Soldano scripsit, deinde vitulinæ, agninæ, gallinacæ, ut & avium montanarum (non palustrium) perdicum, attagenum &c. quæ cum succo majorum aurantiorum, vel limon. assari, vel succo citri ad appetentiam extimulandam (ita enim acidis uti licet) elixæ irrigari possunt.

46. Laudantur insuper pisces saxatiles, aselli & similes, aromatibus moderati conditi: panis similiter causis *Scorbuti* offeratur contrarius, optime fermentatus, cum aniso, caruo, fœniculo & pauco fale conditus, nec vetus admodum, nec recens nimium.

47. Offeratur cremor prisianæ saccharo dulcoratus, cujus tamen usus sit parcus ob lentorem, & visciditatem,

tatem, quam obtinet: jusculis pullorum aliquid hyssopi, thymi, satureiæ, majoranæ, præsertim ubi maculæ in pedibus nigræ, & crura apparent oedematosa; *ubi vero macula subflava, subvirides & rubra sese offerunt*, à calefacientibus & mellificiis omnino est abstinendum, his enim dulcia in bilem facile convertuntur.

48. Potus sit *vinum Rhenanum, verum*, aut Gallicum purum, non saccharatum, quale obstructionibus, & collectionibus crudorum humorum ansam præbet, *vel factitium* absinthites, chamædrites, veronicatum, aut Scolopendriæ viribus imprægnatum, aut destillatum pro fortiori vino diluendo Matthæi Martinij th. 134. tr. de scorb. vel Capivaccij decretum lienosorum, quod refert prax. c. 26. l. 3. Vinum nim. in vase e tamarisco confectum servatum, & haustum.

49. Vini defectum supplet cerevisia benè defæcata, & lupulo condita, vim diureticam obtinens, quare & herbis hanc qualitatem promoventibus rectissime imprægnabitur; non recens nimium, neq; vetustate acida: abstemiis sufficiant aquæ fontanæ, pellucidæ, & injecto cinamomo coctæ, ac refrigeratæ, postea à limosis partibus colaturâ sequestratæ. Imprimis autem laudatur aq. chalybeata, quæ optime lienis obstructiones resolvit, unde animalia apud fabros educata ferè nullum, aut parvum habere putantur lienem, teste Cels. l. 4. c. 9. vel juxta consilium Riolani c. 9. de morb. lien. diluatur aqua decoctionis ceterach, asplenium enim est Dioscoridis, cui vis minuendi lienem inest.

50. Tabernæmont. acidulas insigni laudis effert encomio, ob vires minerales, quas ex metallis hauserrunt; quibus & lactis caprilli & imprimis seri usus, ob

C

atro,

atrophix præcautionem, præsertim si illi Antiscorbutica incoquantur, accommodabitur.

51. Exercitium corporis, ut & somnus, vigilia, animiq; pathemata moderationis limites non transiliant; quin & consuetas recto modo sese habentes evacuationes retinere, aut promovere, salutare est.

52. Ut ad *Cbirurgiam* accedamus, inculcamus aphor. Hipp. II. l. 6. quo asserit, *bonum esse, si mel ancolicis & nephriticis hæmorrhoides superveniant*: ita & nos hîc optimum esse profitemur, ubi à nullo docta natura per hæmorrhoides sarcinam, quæ erat molesta, deponit & exturbat: Si vero id non contingat, *Medicus*, naturæ imitator & sensatus Philosophus arte sanguis superfluus ut evacuetur, procurare debet.

53. Si autem nulla spes nobis hujus rei affulserit, præmissa minorativâ, seu leni aliquâ purgatione, primæ corporis viæ evacuentur, v. g. fol. sen. crem. tartar. cass. passulo aut aniso laxativis &c.

54. Quibus decenter peractis phlebotomum in corpore plethorico venæ magis turgenti applicetur, sive illa sit cephalica, sive basilica, sive mediana, sive in dextro, sive sinistro brachio, cum venæ brachij sinistri majorem cum liene non habeant *συμπίθεται*, quam dextri, omnes enim ab eodem trunco venæ cavæ ducunt originem, nisi ad *ἔξω*, rectitudinem seu rationem occultam, quam habent dextra cum dextris, sinistra cum sinistris quis curiosè confugere voluerit, quam sententiam nulli invidemus.

55. Parcius autem emittatur sanguis, perq; epicrasin potius; morbus enim est cacochymicus, in quo præstat peccare in defectu, quam excessu, cum ille suppleri, hic

hic corrigi non valeat, Wier. lib. de scorb. monet, ut lato
scalpello fiat sectio, ne solum tenuiores, sed & crassiores
sanguineæ partes evacuentur; attamen commoda, &
auro contra æstimanda est cautela D. Foresti lib. 20. ob-
serv. II. ubi in virium debilitate ob uberiorem exhalationem spirituum id periculo non carere, affirmat.

56. Semper autem in mulieribus, an menstrua suppressa sint attendendum, iisq; aperiendis sedulo incumbendum.

57. Evacuata itaq; sanguinis plethora ad *Therapie instrumenta* progredi oportet, & primò quidem ad fortiora purgantia, si morbus & vires ferunt; sed cum *mobiles cathartics* malum hoc facillimè possit exasperari, circumstantiæ Medico probe considerandæ sunt omnes, ne quid nimis; quin potius purgatio interpolata *de Traxepios* consulatur, viscidusq; hic humor paulatina ad evacuationem præparatione incidatur, lentus abstergetur, & crassus pedetentim attenuetur.

58. Tale quondam in cottidianis usibus fuit *Henrico Bruceo*, quod R. cochlear. becabung. nasturt. aq. fumar. ana. part. æqual. radic. agrioraphani unc. i. f. Quibus omnibus in ligneo, ferreo, aut marmoreo vel lapideo mortario ejus generis pistillo contusis affundatur tanta copia lactis caprini, ut optima fiat miscella: macerentur h. 12, deinde in duplici vase horæ semisse bulliant, colataq; exprimantur. Hujus liquoris cum lacte expressi unc. v. vel vi summo mane, & vespertinâ quartâ vel quinta non sine fructu exhibentur. vel si lubet, uterre potione digestiva Joëlis lib. 2. practicæ, sect. 6. p 232. descriptâ.

59. Alij quibus *decocta* minus arident, destillatis

C 2

aquis

aquis idem obtinebunt, quarum exemplar apud Puer-
cetanus c. 7. pharmacop. describitur, & R. corticum
cappar. fraxini, tamarisci &c.

60. Oppidò ita præparatis humoribus, purganti-
bus per eas partes, ad quas materia vergit humores sunt
evacuandi, ut extract rhabarbar aloë. fol. senæ, mechoa-
cæ, pulv. Senæ Wieri aut alio in sero caprino vel juscu-
lo carniū sumpto; robustioribus pillul. de fumar. vel
electuar. diasenæ prudens Medicus exhibebit.

61. Hermetici commendant turbith minerale, li-
lium antimonij, Panchymagogum Zwingeri, flores anti-
monij, ritè præparata, & legitimo tempore administata.

62. Tandem corpore decenter evacuato, ad talia
auxilia properandum, quæ præterquam quod sangui-
nem peculiariter corruptum depurent, humores inci-
dendo attenuent, obstructions factas aperiant, urina-
rum & sudoris proventum educant, insuper specifica &
magnetica quadam proprietate malo huic adversantur.

36. Talia sunt, quæ singularem acrimoniam cum
grata amaritie gustatui representant, cumq; sale volatili
abundent fixo & crasso humori volatilem raritatem in-
ducere possunt, in quorum catalogo primas tenet *coch-
learia*, sic dicta, quod cochlearis formam folia referant,
quæ olim à Frisiis Casaris Germanici exercitui ad stoma-
cacos & Scelotyrbes vitia emendanda, auguratò mon-
strata fuit. Hæc sive cruda comedatur, sive aqua ex eâ
destilletur, sive cum moderato saccharo in conservam
redigatur, sive pulveris, decocti, aut succi formâ exhi-
beat, semper suas merebitur laudes.

64. Proximas illi vires obtinet *Nassurtium*, præ-
fertim aquaticum Germanis *braunkressig* / deinde
dein-

hybernum, quod Dodonæus *Ψδοδώνιον* Dioscoridis esse arbitratur; *anagallis aquatica*, quam *Becabungam* vocant, licet non sit ita, ut nasturtium, acris minusque calida ac reliquæ, vim tamen priorum nonnihil effrænat: *Chelidonium minus*, Germ. *Schorbuckfreutlein* *Sinapi, sedum minus*, quod *illecebram* indigitant, *raphanus agrestis, fumaria, nummularia*, & id genus plura.

65. Dani commendant *baccas* suas, quas *Multiber* vocant, è quibus arte pharmaceuticâ electuarius præparant, quod integris tonnis, magno cum lucro, dividendunt.

67. Porrò dictæ herbæ majorum semper erunt virium virides, & recentes, adeoq; expressi succi, quos vel per se, vel cum vino, si febris absit: vel cum sero lactis, si febris præsto, feliciter propinant: alij easdem vino imponunt, & de illo quotidie bibunt: alij succorum cochleariæ, fumariæ, nasturt. aq. becabung. abjecto cinamomo, aut nuce moschata unc. iiij. mané vesperiq; tuto & salubriter exhauriunt. Quercetan, p. 165. diætic. polyh. commendat hoc antiscorbuticum R. lib. i. decoct. hord. vin. alb. unc. vj. raph. agr. minut. concis. unc. ij. cochlear. m. iij. comprim. & contund. sine coctione, præparetur succus, qui bibatur quotidie.

68. Ex herbis his insuper Medici varias *aquas, varios syropos* (quos tamen aliqui minus extollunt, ob qualitatem eorum glutinosam à saccharo inductam) *decoctæ* (hæc tamen cautione, & cura, ne coctura sal volatile evolet) *extracta, Salia, Magisteria, & essentias* parant, quæ passim cuilibet apud Præcticos occurrunt.

69. Chymici etiam, cum *tartareus* sit hic morbus ex mineralibus spiritus ad lucem hanc extirpandam va-

lentissimos eliciunt, inter quos primas tenet *spiritus tartari, vitrioli, salis, sulphuris, nitri* legitime præparati, in quo solo, provisione totius corporis habitâ, curam hujus morbi residere Petrus arbitratur: quorsum & referimus *terram istam rubram*, quæ prope *Bergas in Norvegiâ* effoditur, Lemniæ non abfimilem, peculiare hujus morbi alexipharmacum.

70. Si vero humores fuerint in ventriculum coniecti, *vomitus* est provocandus, decoct. raphan. cortic. sambuc. fol. asari &c. si vero causa morbifica ad meatus urinarios videatur declinare, quia sæpius *in lienosis* nigræ excernuntur urinæ, seroso humore unâ cum sanguine frigido ad arteriam magnam delato, & ita ab emulgentibus in renes deducto, sicuti Empyicorum & peripneumonicorum pus sæpissime evacuatur, insigniter profunt *diuretica*, ex petrosel. apio, terebinth. junip. confecta: nec *diaphoreticis* laus est deneganda, ubi resolutam hanc saburram ex sanguine corporisque habitu educere animus est; cui rei inserviunt, sal absinth. carduiben. cum aq. fumar. cochl. nasturt. vel præparationes ex Guajaci, sarsæ parillæ, sarsafr. lignis decoctis aliis appropriatis, pro natura morbi & ægrorum, additæ; quorum usus in lecto vel Laconico convenienter inibitur. Sin autem virium causa sudoribus manifestis locus denegetur, per fomenta, aut frictiones cum sale milio, avena, vel & per lapides calefactos, linteis obvolutos, aut lagenam calidis aquis repletam, & corpori admotam transpiratio occulta non sine ægri commodo promovebitur.

71. Quibus felici manu peractis, viscerum conformationi studendum, tam intus assumptis, quam extrinsecus admotis: *Epati corroborando* inserviet conserva flor.

flor. cichor. vel radices conditæ, *cordi refocillando*, spec. liberantis, diamagar. confect. alkerm. & macis; *lieni*, conserva fumariæ, ceterach, scolopendr. radic. tamarisc. *ventriculo*, conserva flor. absinth. rosar. condit. Zinzib. cortic. citri. El. xir proprietatis Paracelsi, *siq. calor adsit*, trochisci diatrion santalon; *pulmoni*, radic. helenij condit. conserv. veronicæ, species diaireos, specificis perpetuò reliquis admixtis.

72. Extrinsecus inungatur *hepar*: ol. absinthite, mastich. *ventriculus*, ol. macis vel nuc. moschata; *lien*, ol. de capparib. vel unguento splenetico.

73. Quibus confectis bona valetudo $\xi\upsilon\nu\ \Theta\epsilon\tilde{\omega}$ exsplendescet, & symptomata paulatim evanescent, nisi fortassis istorum quædam altiores egerint radices, veluti sunt, *oris crurumq. vitia*, quæ aliquando adhuc perseverare, & Medicam opem flagitare solent. Et quidem gingivarum cruentâ flacciditatē, & foëtorem per medicamenta contraria Antiscorbuticam vim habentia emendabimus, requisitâ etiam in omnimodâ illarum putrefactione chirurgi forficulâ, crurum enervationem, laxos relictos tumores, & multifformes lituras, *istam* fomentis convenientibus, *illos* pediluviiis ex lixivio, aq. marina, aliisq; efficcantibus herbis & radicibus, *has*, per ea, quæ ichorosum sanguinem sub cute coacervatum discutunt, corrigimus. Similiter & ulceribus, quæ superius $\delta\upsilon\sigma\epsilon\pi\epsilon\lambda\omega\tau\epsilon$ scripsimus, mundificativo ex Apio, aliis quæ levi cum astrictione detergent, & quod influit repellunt, quodq; parti affectæ inest resolvunt, succurremus; qualia quæ vult, ex Practicorum libris haurire potest, nos aureæ brevitatis memores, hîc rivos claudimus.

HE-

Corollaria.

1. An *acidularum* potus *Scorbuticis* conveniat? D.
2. An antiquorum *icterus niger*, & *viticigo nigra* idem sint, quod modernus apud nostrates *scorbutus*? N.
3. An *grandinum* in sue cum *scorbuto* in homine sit aliqua societas, & germana fraternitas? A.
4. An post sumptum cibum, an v. ventriculo ieiuno pillulas exhibere sit consultius? D.
5. An Chymici asserentes *similia similibus*, Galenicis docentibus *contraria contrariis curari* contradicant? N.
6. An venenum veneno additum semper hominem perimat? N.




Amico meo Charissimo


Dn. M. HENRICO STARCKIO.


Quem sua laudarunt doctissima carmina sepe
Tu semel ut laudes quid mea Musa iuvat.
Laudes in votum convertito; sidere fausto
Ut capiat studijs digna brabea suis.
Ut magni ingeminet famam patris emula proles
Et forti gripbos nomine dissoluat.


L. m. q. s. scripti


D. JOACHIMUS STOCMAN
Phys. Prof. publ.














flor. cichor. vel radices conditæ, *cordi refocilla*
liberantis, diamagar. confect. alkerm. & ma
conserva fumariæ, ceterach, scolopendr. radic.
ventriculo, conserva flor. absinth. rosar. cond
cortic. citri. El. xir proprietatis Paracelsi, *figs*
trochisci diatrion santalon; *pulmoni*, radic. he
dit. conserv. veronicæ, species diareos, specifi
tuò reliquis admixtis.

72. Extrinsicus inungatur *hepar*: ol. ab
mastich. *ventriculus*, ol. macis vel nuc. mosch
ol. de capparib. vel unguento splenetico.

73. Quibus confectis bona valetudo *UV* *OE*
descet, & symptomata paulatim evanescent, *1*
fis istorum quædam altiores egerint radices, *ve*
oris crurumq; vitia, quæ aliquando adhuc perse
Medicam opem flagitare solent. Et quidem gi
cruentâ flacciditatē, & foëtorem per medicam
traria Antiscorbuticam vim habentia emenda
quisitâ etiam in omnimodâ illarum putrefac
rurgi forficulâ, crurum enervationem, laxos
mores, & multiformes lituras, *istam* fomen
nientibus, *illos* pediluvii ex lixivio, aq. marina,
ficcantibus herbis & radicibus, *has*, per ea, qu
fum sanguinem sub cute coacervatum discuti
rigimus. Similiter & ulceribus, quæ superius
scripsimus, mundificativo ex Apio, aliis quæ
astrictione detergent, & quod influit repellun
parti affectæ inest resolvunt, succurremus;
vult, ex Practicorum libris haurire potest,
reæ brevitatis memores, hîc rivos
claudimus.

